



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

177 Episcopi contra personas excommunicatas, & interdictas quomodo
procedere teneantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

testatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generalis idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent pro expressis habens, quò ad ea, quæ præmissis aduersantur, illis aliàs in suo robore permanentibus ea vice duntaxat, specialiter, & expressè derogavit, contrariis quibuscunque non obstantibus, ut in posteriori decreto Romæ sub die 26. Novembris 1602. edito impresso, & locis publicis affixo. Quo remouetur omnis difficultas, an sufficienter fuerit derogatum, quia motu proprio, & ex certa scientia, de Apostolica potestatis plenitudine fuit derogatum, & clausula, motu proprio, hoc casu tollit subreptionem, cap. si motu proprio, de præben. in 6. clem. si Romanus Pontifex, & ibi gloss. final. & Abb. num. 2. eod. tit. Felyn. in cap. ceterum, n. 9. de rescrip. Lap. alleg. 7. 175 in fin. & Gabr. com. concil. de claus. lib. 6. concl. 2. num. 1.

Derogatur enim omnibus privilegiis, & litteris in contrarium quomodolibet facientibus, cum clausula, quorum tenores pro expressis habent, quæ clausula præcipuè in litteris, motu proprio concessis appositata operatur, ut totus tenor eorundem privilegiorum, & litterarum, quæ pro expressis habita fuerunt, censea-

tur expressus, & specificatus, Buttr. communiter receptus, in cons. 2. col. 1. ver. his tamen non obstantibus Gomel. super regul. Cancell. decis. 10. num. 2. & Gabriel. de claus. eodem, lib. 6. conclus. 5. num. 1.

174 Absolutiones tamen verò contra formam Bullæ Cœnæ Domini; & dicti decreti factæ sunt etiam nullæ, nulliusque roboris, vel momenti, ut in eodem decreto, §. præterea, quia excommunicatus absolvi non potest, nisi à potestate habente, & est communis opinio, de qua per Tabien. in verb. excommunicatio, 7. num. 13. excepto mortis articulo, de quo in eadem Bulla Cœnæ Domini, & decreto proximè citato.

175 t Sed tunc, si casus reservati habent annexam excommunicationem, vel absoluitur quis ab eadem excommunicatione, & efficiatur incolumis, tenetur pro absolutione superiorem adire, aliàs in eadem excommunicationem reincidit, cap. eos qui, de sentent. excommunic. in 6. & Graff. decis. aur. par. 1. lib. 1. cap. 13. num. 90. & per se ipsum, vel procuratorem ad Papam accedereteneretur, Navar. in cap. 27. n. 113. & Graff. eadem par. 1. lib. 4. cap. 230 num. 1. & 2.

176 Consulere tamen propterea eorum conscientia debent confessarii, qui parùm curant, pro posse in præmissis animarum salutis consulendo providere; & videant Navar. qui inquit, quartò demerari me, quòd cum tot has censuras incurrant, tàm pauci tamen confessarii locorum, ubi hæc aguntur, eas pro dignitate extiment, & eas incurrentibus absolutionem denegent, & 7 t tàm pauci Episcopi, qui excommunicatas, & interdictas personas & terras ubi

ubi hæc fiunt, fieri videntur, & permittuntur, denuncient; cum præceptum eis sit à consilio Viennensi, ut sub pœna peccati mortalis id faciant, postquam de eo ipsis constiterit, quòd tamen facile constare potest, quamvis parte vocata, & judicialiter id fieri debeat.

178 Quamquam, ¶ etiam testor, multos populos Italiae, & Governatores, ac exactores eorum annis, quibus ego Sacrae Pœnitentiariae servio, à Summo Pœnitentiarario S. D. N. petiisse absolutionem à censuris ob hæc incurfis, restitutione promissa parata, vel facta, quos utinam aliorum Regnorum populi, & Rectores imitarentur, Amen, ut in Manual. c. 17. num. 202. vers. quarto de mirari.

179 ¶ Quòd autem parte vacata, & judicialiter de censurarum incurfu constare debeat, procedit ad effectum judiciali-

ter declarandi aliquem in sententiam excommunicationis in Bulla Cœnæ Domini contentam incidisse, & incurrisse. Et in his terminis procedit prima opinio Navarri, sed in foro poli, coram confessorio. Governatores, magistratus, populi, exactores, & alij contravenientes, contentis in Bulla Cœnæ Domini pro verè excommunicatis sunt habendi, & non absolvendi, ex proximè per eundem Navarrum dictis, & supra n. 136. & 144. allegatis, & de his, quæ frequentius in foro contentioso quaeri solent. Hæc pauca mihi de excommunicationis sententia dixisse sufficiat: cum in concernentibus forum conscientia, & Bull. Cœnæ Domini ferè omnes Theologi, & ex recentioribus, Navar. Cardinal. Toletan. Grassi & Sayr. copisè differuerint, ad quos remissè sufficiat.

DE SUSPENSIONE, ET INTERDICTO.

Cap. VIII.

S U M M A R I U M.

- | | |
|--|---|
| <p>1 Censura ecclesiastica sunt tres. Suspensionis, & interdicti sententiam Episcopi, Archiepiscopi, & alij Superiores non incurrunt, nisi de ipsis in constitutionibus expressa mentio habeatur, ibidem.</p> <p>2 Suspendio, quid sit.</p> <p>3 Suspensionis pœnam incurrit Episcopus aliquem aliena diœcesis ordinans sine litteris dimissorias.</p> | <p>4 Episcopus infantem, aut illitteratum ad primam tonsuram promovens, per annum à clericali tonsura collatione est suspensus.</p> <p>5 Insans, quis dicatur.</p> <p>6 Illitteratus, qui dicatur.</p> <p>7 Episcopus sacerdotem indignum, & inhabilem ordinans, à collatione ordinis sacerdotalis est suspensus.</p> <p>8 Episcopus solemniter pœnitentem, aut bigamum</p> |
|--|---|